

52938/p

# QUÆSTIO MEDICA

DE

## ASCITE

PROPOSITA.

AB ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

**JOANNE BEZAC**


Regis Consiliario & Medico, nec-non in al-  
mâ Monspeliensium Medicorum Academiâ  
Professore Regio dignissimo.

SUB HAC VERBORUM SERIE.

*An Asciti Hydragoga.*

Quam Deo favente & auspice Dei parâ  
tueri conabitur in Augustissimo Mons-  
peliensi Appollinis fano, die mensis  
Augustii, anno 1710. ab horâ octavâ ad  
meridianam, STEPHANUS PHILIPPUS  
BLANQUET Anderitensis, apud Ga-  
balos Artium Liberalium magister jam-  
dudum Medicinæ studiosus & Universi-  
tatis Consiliarius.

Pro primâ Apollinari Laureâ consequendâ!



MONSPELII,

Apud HONORATUM PECH, Regis & Univer-  
sitatatis Typographum. 1710.

QUESTIONS MEDICAL

318332



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


QUESTIONS

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through.



# QUÆSTIO MEDICA.

## DE ASCITE.



NTEQUAM de Ascite sermo-  
nem instituamus, de Hydrope in  
genere, cujus idæa ad singularum  
specierum notitiam, non parum  
luminis affert, aliquid præfari,  
operæ prætium duximus.

Hydrops in genere, spectatâ vocis Ætymolo-  
giâ, per multas sæculorum series, pro præter-  
naturali tantum aquarum extra vasa in corpore  
collectione usurpata fuit; sed ex quo ope Ana-  
tomizæ, vasa lactea & lymphatica in omnium  
conspectum venerunt, & sensuum ministerio ex-  
ploratum fuit, non solum aquas; sed varios  
alios liquores, de quibus infra, Hydropi ma-  
teriam præbere; ratio suavit, & experientia do-  
cuit angustiores esse illius definitionis cancellos,  
quàm ut omnem Hydropem comprehenderet.

Est itaque Hydrops præternaturalis humoris lim-  
phatici, aut chilosi, aut flatulenti, vel serosi, ali-  
quando saniosi, idemtidem sanguinei, plurium  
vel omnium, extra vasa collectio seu in habitu,  
seu in aliquâ, seu in pluribus corporis partibus.

Dividitur ab authoribus in particularem, & universalem, particularis est ille qui peculiarem aliquam cavitatem, vel partem corporis insignem in habitu occupat. Pro varietate sedis varia sortitur nomina, si intra vel supra cranium humor Hydropicus effundatur hydrocephalum dicitur; si in pectoris cavum, hydrops thoracis, si in scrotum hydrocele, si in uterum, hydrops uteri, & sic de cæteris.

Universalis appellatur non solum qui universum corpus, aut habitum; sed qui plures ejus partes impregnat, tres vulgò hydropis universalis species recensentur, nempe anasarca, leucophlegmatia, & ascites, alii anasarcam & leucophlegmatiam confundunt, alii accuratius eas distinguunt, sicque constituunt anasarcam esse tumorem simpliciter aquosum in universo corporis habitu, leucophlegmatiam verò esse tumorem qui ex humore crasso, limphatico & albicante in toto corporis habitu effuso exurgit.

Ascites, quam hydropis speciem præ aliis propugnandam suscepimus, est collectio humoris limphatici, chilosi, vel serosi, non nunquam saniosi, aut sanguinei vel plurium in abdomine, in vesiculis quas hydatides vocant, in duplicaturâ peritonei, bursâ omenti, aliisque cavitatibus extravasati. Hæc species in universalium album adscribitur, vel quia plures partes in abdomine contentas infestat, vel quoniam, ut aliis placet, abdominis multò major est cavitas, quam capitis, aut thoracis, vel quod sæpius protendatur ad plures alias partes extra

abdomen , ad scrotum scilicet , femora , crura , & pedes. Extenditur ad scrotum quia aqua conclusa in duplicaturâ peritonei depluit per membranam illinc ad testes propagatam , vel quia compressis venis sanguinem à scroto reducentibus , ille moram contrahit , serumque dimittit. Idem in crassitiem sanguinis & partis flacciditatem refundi potest. Ad Ascitem refertur tympanites propter utriusque effectus analogiam aut similitudinem in tumoribus ejusdem regionis , nomen obtinuit ex eo quod flatibus elasticis , & humoribus viscidis , & fermentescentibus abdomen adeo sit distentum ut resonet ad instar tympani , si percutiatur. Ad flatum conferre fermentationem author est hypocrates dum ait ubi sunt flatum ibi est calor.

Per transennam asserimus tympanitem nunquam solis flatibus , & vaporibus sine particulis aqueis propriam formam retinentibus natales suos debere.

Nunc ad proximas Ascitis causas eruendas nos accingamus ; omnes reducimus ad prædictorum humorum in partes , & cavitates quas invadunt effusionem. Lympha & chylus effunduntur ruptis aut erosis vasis , rumpuntur vasa vi ipsis illatâ , vis infertur à causâ internâ , vel externis , causa interna est prædictorum liquorum aucta prætermo- dum quantitas , & crassities , aut etiam præternaturalis fermentatio , augetur quantitas & crassior evadit humor propter præpeditam viam , præpeditur autem via propter obstructionem aut compressionem vasorum , au-

getur autem fermentatio à particulis hæterogeneis.

Causæ externæ ruptionis vasorum sunt casus , ictus , vulnera , aliaque id genus ; casu erumpere limpham in thoracis cavum perhibet Vvillisius.

Erroduntur vasa purè , aut sanie in partibus vicinis confecta ; vix animum adducere possum ad credendum illa posse erodi salibus acris , aut corrosivis quibus Onusta est limpha , aut chylus nisi prægressâ stagnatione aut fermentatione.

Nunc exponendum qua ratione serosus latex è vasis sanguiferis in capacitatem abdominis effundatur experientiâ constat ligatâ venâ cavâ infrâ cor in animali adhuc vivente fieri hydropem in abdomine , & pariter ligatâ venâ jugulari subsequi aquarum diluviem in capite ; hinc liquet quod si comprimantur aut obstruantur tubuli sanguiferi oriatur pari modo hydrops ; quandoquidem obstructio , aut compressio non secus ac ligaturæ sanguinis circuitum præpediunt ; quo præpedito necesse est illum accumulari , deficiente motu moleculas ipsius crassiores ad se invicem accedere , serum ex suis ergastulis exprimere , hoc vasorum tunicas emollire crescentem humorum massam eorundem tunicas explicare , proindeque eorum spiracula ampliari , tandemque serosum laticem è cruoris compage expeditum , quasi per tot apertas fenestras affatim in abdominis specus effluere.

Observandum tamen sanguinem crassum & viscidum æquò segnius canaliculos suos dimittentem sine repagulis cathaclismo , hydropico

ansam præbere posse nec est cur fufius hujus  
fiendi modum prosequamur, cum ex præmissis  
haud difficulter intelligi queat.

Sanguinem pariter aquosum & effectum hy-  
dropi occasionem dare posse certum est, spiritus  
enim dilutos, & copulam inertem suggerit,  
hinc partes facefcunt, conferente symbolum  
diathesi sanguinis aquosâ. Præterea cum fluidum  
cordis motivum naturam sanguinis redoleat mi-  
noris est energiæ & languidius machinæ con-  
tractiones molitur, undè vitalis liquor minori  
impetu in arterias propellitur, qui cum partibus  
quas aluit aliquot sui motus gradus impertiat,  
quadamtenus stagnat, serum emittit, hincque  
nascitur hydrops. Hic affectus febribus putri-  
dis, & colliquativis non raro supervenit.

Ex quibus autem vasis serosum effluvium ma-  
net, ambigitur, Ast cum vcnæ paucioribus  
compingantur membranæ, & texturæ debilioris  
parietesque pororum communicationis, ( qui-  
bus nonnulli castella substituunt ) infirmioris  
structuræ sint, per harum partium poros faci-  
lius, & crebrius serum effluere autumamus; se-  
rum autem hydropicum interdum coloris est  
sanguinei, qui refundi debet in globulos san-  
guinis dissolutos qui promiscue cum sero per  
poros inhiantes trajiciuntur; serum illud quan-  
doque est saniosum propter miscellam puris, &  
saniei quæ ab ulceribus partium in abdomine  
contentarum dimanant.

Causas remotas ascitis assignamus quæcumque  
sanguinem nimis crassum, & aquosum, vel

dissolutum, & effœtum reddere possunt, quales sunt res non naturales, aër frigidus, humidus, & caidus per se, vel per acidens humores inspissat, aut fundit, sicque ad hydropem disponit. Alimenta acida, cruda, viscosa, & phlegmatica chilum congenerem suppeditant, sicque sanguis ejusdem characteris generatur. Ingurgitatio ciborum quamvis eupepti sint, cùm fermenta iis probe digerendis non sufficiant; cachexiam quæ est proxima ad hunc morbum gradus inducit, vinum meracius, alique liquores spirituosi, acria & aromata humores eliquant, aut coagulant. Item exercitia vehementia, ira, vigiliæ, mæror, tristitia, vita otiosa, somnus in longum protractus, evacuationes immodicæ, salubrium excretionum suppressio, quorum singulorum expositioni brevitatis ergo superfedemus.

Diagnos, futurum ascitem pronuntiant tumor pedum, crurum, respirationis difficultas, intumescencia faciei. Præsens affectus in gravidis, aut obæsis difficiliter circa initium dignoscitur quam in gracilibus ac non gestantibus. Quandoquidem non raro evenit ut imperiti graviditatem cum hydrope confundant, non abs re fore arbitramur, signa eorum distinctiva in medium proferre ne quid arti, aut medicorum famæ detrahatur, in gravidis tumor abdominis ad præcordia vergit, estque acuminatus, & inæqualis: in hydropicis vero admodum æqualis, & ad inferiora magis tendens, mammæ detumescunt, superiora marcescunt, labra livescunt, auditur fluctuationis sonus, quo se vertunt ægri eo labuntur



buntur aquæ, catemema, sæpe aquosa fluunt, languet appetitus, non item in gravidis saltē per se, gestationis tempore vigent & fulgent oculi, color faciei est floridus, languens & subalbidus in hydrope; torquentur siti non raro hydropici, non autem utero gerentes, diximus non raro quia omnes hydropici non sitiunt, causa sitis hydropicorum est exigua quantitas salivæ vel ipsius salsedo; cur aliquando non sistant patet ex eo quod oppositorum opposita sit ratio, adstrictio alvi quæ in hoc affectu idē tēdem contingit, tribuenda est bili effcætæ, aut minus acri atque adeo impari stimulantis intestinis ad secessum, vel imminutæ succi pancreatici, & intestinalis secretioni, unde fæces non emolliuntur, nec intestina ad contractiones exerendas satis irritantur, remittente fibrarum tono ob pœnuriam & inertiam spirituum; urinæ modo sunt crassæ modo tenues, sunt tenues ob majorem sanguinis consistentiam in quo statu partes duntaxat tenuiores elabi sinit; sunt vero crassæ & turbidæ ob sanguinis deliquium in quo sulphuræ terestres & salinæ moleculæ uberius lotio admiscuntur, pedes & crura de die intumescunt, quia virtus cordis pulsifica non sufficit ad continuandum sanguinis motum per venas, flaccescentibus ob spirituosos laticis copulæ explosivæ & cruoris vitia partibus, detumescunt vero de nocte quia facilius sanguis redit ad cor non reluctante gravitate in situ horizontali, turgēt facies nocturno tempore, quia majori quantitate sanguis fertur ad caput & minori

revehitur non favente pondere, evanescit de die, quia secundante gravitate sanguis facilius refluit ad cor & minori quantitate, ea renitente ad faciem fertur.

Prognosis, omnis hydrops est curatu difficilis, eoque difficilior quo magis inveteratus est, qui morbis acutis febribus-ve quartanis supervenit plerumque lhetalis est, maculae in cruribus aut alibi erumpentes, quas sequitur gangraena, pessimi sunt ominis, ita urinæ turbidae, hydrops qui ab hepatis schirro procedit vix curationem admittit qui autem à lienis minus periculosus est, si ablatus recurrat, latet anguis in herba, abcessus & anthraces mortem imminere indicant, hydropem à colliquatione tollere prodigii instar est. Hydrope correcto si aqua è venis in ventrem defluerit, solvitur morbus ex Hipocrate sect. 6. Aph. 14. Quod verum est viribus tantum constantibus, fulget aliqua spes salutis, si respirandi difficultas sit levior, & ægri sint immunes à siti, & tussi, juvenes aut robusti & causa altiores radices non egerit.

Curatio eo dirigenda est ut obstructions si quæ adsint, referentur, sanguis ad pristinam crasim restituatur, conservetur, & instauretur corporis robur in quantum fieri potest, quo alacrius humorum in abdomine & alibi profusorum evacuationes perferri queant & occurratur novo eorum proventui, quem in finem removeantur causæ antecedentes, diæta præscribatur tenuis ex carnibus eupeptis tostis, non elixis, abstinendum à potulentis, vel ipsa juscula mo-

dice usurpanda. Urgente siti aquâ os abluatur, inchoandum à catharticis ut alterantibus detur locus, certiusque suum effectum sortiantur, purgantia per epicrasim sanguinem exagitant, nec tamen humores superfluos evacuant, eorum fluxum movendo tumorem adaugent nec propterea ad moclyca remedia confugiendum, illa enim vires prosterunt, spiritus exhauriunt, & partes volatiliores massæ sanguinæ dissipant, paucis, sanguinem incrassant aut eliquant, proindeque mortem accelerant. Cùm in corporibus idiosyncrasia quædam quoad facilem, difficilemve catharticonum operationem reperiatur, sciendum an facile an difficulter illis cedant, intra mediocritatis terminum semper consistendum, & purgandum singulis diebus, donec tota aquarum moles exanthletur, nisi virium debilitas aut remediorum violentia id vetet, in quo casu debet intercalari unus aut alter dies, longiores induciæ, et si jam victoria parta videatur, spem vanam sæpius eludunt præbendo ansam aquarum collectioni, venæ sectio sanguinem magis vapidum reddit, confirmato igitur hydrope tantùm abest ut juvet, quin imo ut noceat, licet initio conducat speciatim suppressis catameniis, stomachica, imprimis thabarbarum, vinum absintites aliaque corroborantia usurpanda, & præmissis universalibus ad opiatas aperientes & purgantes veniendum, diuretica quæ per vias naturæ consuetas camerinam deturbant, à primè conveniunt, in constitutione sanguinis dissolutâ & acri, incrassan-

tia, & edulcerantia in subsidium advocanda. Etiam si celebrata paracenthesi ægri sæpe diem obeant, vel quod partes subsideant evacuatis aquis, vel quod omne serum sanguinis per vias tritas effluat, sicque vehiculo ille destituatur. Si tamen morbus aliis remediis non cedat, in dies magis ac magis ingravescat, suffocationis, & viscerum labefactionis periculum instet, quoniam in periculosis periculosa, in dubiis dubia tentanda sunt illa non prætermittenda, sed quoniam hydragoga sæpius iterata ascitem ut experientia docet radicitus abstulerint jure concludo.

**ERGO.** *Asciti hydragoga.*

